



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 18. Ejusdem Myst. punct. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

## MEDITATIO. XVIII.

*De Apparitione septimâ. Joan. 20.  
Myst. punct. 2.*

**C**ONG. Christo redi vivo congaudere.

PRÆL. I. Quomodo Christus post dies octo, iterum januis clausis, apparuerit, & Thomam de incredulitate admonuerit.

PRÆL. II. Videre cubiculum illud clausum.

PRÆL. III. Petere gratiam, reducendi aberrantes ad suum finem, & ad Vexillum Christi.

**P**UNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Post dies octo, iterum erant Discipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Joan. 20.*

INTEL. Videamus Thomam, qui antè erat, quasi absconditus, nunc reductum, & consistentem in consilio justorum, & congregatione, Ps. 110. Atque hoc fuit initium ejus felicitatis. REFL. Sic nobis etiam evenit, dum in tentatione absconditi sumus, & fugimus oculos Superiorum, & Directorum nostrorum, facile superamur à malo Spiritus initium verò victoriæ oritur à reditu ad illos, exponendo oculis eorum omnia, quod horret Diabolus.

VOL. Si aliquando tenebras illas quæsi verimus, dicamus: *erravi, sicut ovis, quæ perii. Ps. 118.* & servemus pulcherrimas Regulas de hac materia, quas in instituto nostro habemus.

Cc

PUN.



**PUNCTUM II. VERBA. MEM.** Christus dixit Thomæ : *infer digitum tuum huc, & vide. &c. & noli esse incredulus, sed fidelis.* Joann. 20.

**INTEL.** Consideremus hæc verba Christi, carentia omni acerbitate, & plena mansuetudine. **REFL.** Discamus hinc, quod dum quis alium *videt desolatione affici, seu tentatione, cavere debet, ne se durum, vel austerum illi exhibeat; sed mitem potius ac suavem præstet.* Annot. 7. inter. 20.

**VOL.** Doleamus, si aliter fecerimus & memores simus Apostoli, qui dicit : *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Gal. 6.

**PUNCTUM III. OPERA. MEM.** Christus apprensens statim se convertit ad Thomam, dicens : *infer digitum tuum, &c.*

**INTEL.** Sic Christus opere confirmavit, id quod docuerat Matth. 18. de quærendâ ove perditâ, etiam relictis nonaginta novem, **REFL.** Talis debet esse zelus noster in convertendis errantibus.

**VOL.** Excitemus zelum nostrum erga peccatores : *vidi prævaricantes & tabescebam, quia non custodierunt verba oris tui.* Pl. 118.

**PUNCTUM IV. QUID. DIVINITAS. MEM.** Iterum *venit Jesus januis clausis... deinde dicit Thomæ. &c.*

**INTEL.** In passione dicebant Judæi Christo : *propheti-*



*phetiza, quis est, qui te percussit.* Luc. 22. ipse autem *tamquam surdus non audiebat*, quia abscondebatur se divinitas. Nunc autem exierit se divinitas, & ostendit se audivisse omnia, quæ dixerat Thomas. REFL. Si cum Christo hîc absconditi simus, & injurias patiamur, etiam nos manet talis gloria, quando videbimus eum, tunc enim illuminabit tenebras nostras.

VOL. Fortes in Fide, & pleni spe, dicamus cum Apostolo: *videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* 1. Cor. 13.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM.

Apparens Christus, antequam alloqueretur Thomam, omnibus *dixit, pax vobis.* Joan. 20.

INTEL. Sic Christus Solem suum oriri facit, super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos. Matth. 5. Solem, & pluviam consolationis tribuens credulis, & incredulis. REFL. Cogitemus quomodo nos quoque aberrantes à viâ virtutis, nihilominus senserimus aliquos radios divini luminis, quibus invitabamur ad pacem.

VOL. Gratias magnas Deo agamus pro tantâ misericordiâ *quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nunc justificati.* &c. Rom. 5.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam, nos ipsos, deinde alios reducendi in viam.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

CC 2 : MEDI-